

sulo sue fornicationis corrumpente terram, & inebriante in
ea gentes & populos. Apocal. 13. 17. & 18.

36. Interim in medijs tenebris pontificijs nunquam non
Deus sanctas reliquias secundum electionem gratiæ conser-
vavit, quantumvis ille iam non essent hominum oculis ob-
via, quàm nec septem illa millia, de quibus Elia respondet
divinum oraculum. 1. Reg. 19.

37. Semper fuerunt aliqui, qui etiam palàm contradis-
cerent sedi Romana: ideoq; interfecti à Romana Babylone
ebria de sanguine sanctorum, de sanguine martyrum Iesu,
Apoc. 17.

38. Fuere multi, qui in agone ultimo, omissa operum fi-
ducia, alijsq; errorum pontificiorum stipulis igni tentationis
& examinis absuntis, in unicam Dei misericordiam passio-
ne filij declaratam vera fide recumberent & salvarentur.
Quod ex hortulo anima demonstrare promptum est.

39. Fuerunt etiam infantes non ultima Ecclesia illorum
temporum pars, qui per Baptismum inserti Christo ex hac
vita sunt abrepti, antequam erroribus & Antichristiane
impietatis seductione corda ipsorum tenella perverterentur.

40. Itaque sub tristissimis ijs temporibus conservata
nihilominus Ecclesia est, & impleta promissio Christi: super
hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam & porta inferorum
non prevalebunt adversus illam. Matth. 16.

41. Quæ restant quæstiones in huius articuli explicatio-
ne ventilanda, reservantur in sequentem disputationem, ex
octavo Articulo Augustanae Confessionis proponendam.

F I N I S.



THESES THEOLOGICÆ

De

HYPOSTATICA DUARUM IN CHRISTO

naturarum unione

Et

IDIOMATUM COM- MUNICATIONE

QUAS

AUSPICE DEO OPT. MAX.

Præsidente

Viro

Reverendo atq; excellentissimo

DN. JOHANNES GERHARDI S. S.

Theologiæ Doctore & Professore publico, Præ-
ceptore suo summâ animi observantiâ ho-
norando

In Illustri Academia Salana

7. Calendarum Novembris

Ad disputandum publicè proposuit

STATIUS FABRICIUS

MINDENSIS.

Augustinus de doctr. Christ. lib. 2. c. 13.

Disputationis doctrina ad omnia genera quæstionum quæ in litteris sanctis sunt pene-
randa & dissolvenda, plurimum valet.

JENÆ, Ex Typographico JOHANNIS BEITHMANNI

M DC XVI.



DISPUTATIO
DE
UNIONE HYPOSTATICA
ET
IDIOMATUM COMMUNI-
CATIONE.
THESIS I.



Uod Christus Jesus Deus- ho-
mo benè feliciterq; vertat, disputa-
turi sumus de magno duarum in Christo natu-
rarum unionis, indèque subsequutæ divino-

rum Idiomatum communicationis mysterio.

2. In cujus consideratione operæ pretium utiliter nos col-
locaturos existimavimus, quod experientiæ documento in
aliis articulorum fidei aliquibus contra adversarios aut nullo
modo aut certè non satis feliciter sudari animadvertamus, ni-
si hic veluti reliquorum oculus ex ipsa veritate accersitus ab
omni parte nobis subsidio sit.

3. Quem etiam si propter rei difficultatem & insignem in-
tellectus nostri imbecillitatem exactissimè penetrare non va-
leamus, tamen quotquot nomen inter Christianos profite-
mur aut profiteri velimus, absit ut omninò ignoremus.

4. Assumtam enim humanitatem realiter & *ἁποσπαστικῶς* u-
nitam esse verbo, salvitamen semper & distinctis manenti-
bus tum naturis tum naturarum proprietatibus & *ἕνεκεν τῆς*
authoritas scripturarum tam liquidè evincit, ut nisi quis extra
verbum de Verbo Dei incarnato scrupulosè quicquam sta-
tuere, ex ignoto certum concludere, & veritatem penitus eju-
rare velit, seriò id amplius negaturus non sit.



5. Diligenter observetur, quod diximus *ἑνωτικῶς*: Eo enim ipso ad *ἑνότητα* collimatum volumus.

6. Qui quantò majorem implicat difficultatem, tantò graviores ejus ignoratio patit lapsus, ut hunc quem ille lateat, necessum sit in multis errare & multa damnare quæ non intelligat.

7. Nos lucem illam inaccessam venerati & adorantes cum orthodoxis Theologis hoc tantùm dicimus, modum unionis rectissimè vocari posse ineffabilem, singularem & personalem.

8. Ita enim nobis illum appellare licebit, non quod utraque natura peculiarem habeat hypostasin; sic enim non tantùm duæ naturæ, sed & duo in Christo forcent supposita. Verùm propterea, quod jam Dei & hominis filii una eadem & individua sit *ἕνωσις*, & verè dicere queas Deum esse hominem, & hominem esse Deum.

9. Verè, inquam, nec tamen exinde audebis concludere, prædicationem esse tropicam; in causam adfertur, quod in nulla prorsus parte sit figura, quam in terminos proprios convertere possis.

10. Etenim & falsum & falsissimum statuunt, quicumque statuunt, tropicam enunciationem neq; figuram habere in subjecto neq; in prædicato, sed in toto enunciationis respectu. Falsissimum, inquam, statuunt, & convincet eos vel sola enunciationis figuratæ in propriam conversio.

11. Neque etiam opineris simpliciter esse propriam, quia prædicatum non dicitur exactè de subjecto per modum aliquem ex quinque prædicabilibus.

12. Sed inusitatam & singularem, ubi propria quidem manet vocum significatio, verùm modus prædicationis est *ἑνωτικῶς*. Unde si quis fortè suspicetur, nos quorundam sententiæ de qualicumque prædicationum inusitatarum reductione dicam scripsisse, frustrà cum tota sua suspicione sit, neq; quicquam efficiat.

13. Quæ semel indicata semper retineri debent, non enim operosius de iis sumas dicturi, satis esse arbitantes adnotasse hoc loci genuinum unionis modum.

14. Quem

14. Quem si jam probe perceptum habeamus, ut omnino habemus, etiam non lateat nos nullum aliorum modorum quicumque tandem ille sit, de admirando hoc pietatis mysterio citra prævaricationem scripturæ exactè prædicari posse.

15. Non igitur possumus, quin eos ad unum omnes repudiemus, siquidem forinsecus potius quæsitum, quàm à scripturis & reipsa oblati deprehenduntur.

16. Quod quamvis industriori cuivis per se liquidò satis adpareat, magis tamen adparebit ei, qui dicto unionis modo in subsidium vocato utrumque ejusdem terminum perquirat, terminum scilicet à quo & terminum ad quem.

17. Per terminum à quo naturas quæ uniuntur, per terminum ad quem, illud quod ex unione resultat intellectum volumus.

18. Si respicias unionis modum & terminum ejus ad quem, religio tibi sit duarum in Christo naturarum conjunctionem vel cogitare essentialem, qualis est SS. *ἑνωσις*, in qua licet tres sint distinctæ *ἑνώσεις*, una tamen est simplicissima essentia. Non, inquam, hoc modo essentialiter unitas esse duas naturas, neq; tanquam partes essentielles tertii alicujus compositi (quomodo enim summa simplicissima & prima natura cum alio compositionem ineat) in unione concurrere, neq; etiam essentiam quandam tertiam compositam, sive unum quoddam essentialiter exinde exoriri credas, nisi quod absurditate sit absurdius proferre, & in non solvendas difficultates incidere velis.

19. Sin verò ratione termini à quo *ἑνωθῆναι* eam dixeris, non usque adeò quidem à veritate aberabis, neq; tamen satis commodè loquutus fueris. Non quod planè non sit tibi licitum hoc vocabulo modo jam exposito uti, sed quod modus loquendi neq; rem satis attingat, neq; etiam in Ecclesia sit receptus.

20. Naturalem si indigitare velis, habito respectu termini ad quem & modi, absurditatem stultissimam tuam & deploratam in Theologicis inscitiam accusabis, non scripturam, quæ te id non docuit, sed cujus manifestis potius constat testimonio, non unam naturam factam esse, sed duas distin-

etas manente, quibus unio naturalis qualis est inter corpus & animam, vel propterea competere nequit, quia *ἑνωσις τῆς λόγῃ* constat ex duabus totis perfectis naturis; Verùm corpus & anima, ex quibus homo constat, partes sunt imperfectæ. Ubi tamen animadverti potest, unionem ratione terminatam à quo patribus quibusdam naturalem fuisse appellatam.

21. Si modum aliquem vel continuitatis vel contiguitatis & colligationis quantitativum sine fidei periclitatione hinc admittendum censeas, vide ne iratam veritatem habeas, contra quam violenter velle disputare, est, quod Poëta dicunt, Diis bellum inferre.

22. Neq; verò sine blasphemia loquaris, si profitearis unionem hanc simpliciter esse accidentalem, quasi tantum sit facta secundum accidentia, aut per quendam *ἁπλῆσιν*, aut per subjectivam inhaerentiam, aut per nudam combinationem vel sustentationem.

23. De quibus modis omnibus & fortasse aliis quibusdam pluribus variè ab eruditis hæcenus disputatum, & perquam multis rationibus utrinque controversum esse, in dubium cadere non potest.

24. Quorum commentarios uti nostris considerationibus inferamus, opus omnino non est, siquidem prolixissima foret illa disputatio. Quid sentiamus concisè explicamus & institutirationem amplius urgemus.

25. Cumq; unioni, de qua breviter jam diximus, consultum satis arbitremur, quod inde consequutum fuit, paullo explicatiùs exequemur, siquidem hoc vel ignorato vel non intellectu frustra proponerentur reliqua.

26. Incipiamus autem ab ejus nomine, quo ab orthodoxa Ecclesia & Formula Concordiæ appositiùs, ut putamus, communicatio Idiomatum appellatur.

27. Quibus aliter vocare libebit, per nos quidem licebit, dummodo de re nobiscum idem sentiant.

28. Sciant enim nobis de vocabulis præcipuè cum nemine mortalium controversiam fore, ridicula quippe & inutilis diligentia sit illa disputatio, nisi ipsa res in controversiam vocata expendatur.

29. Ve-

29. Verùm ut unde digressi sumus, revertamur, dictam idiomatum communicationem existimamus & verè existimamus realem. Nam, ut nobis quidem videtur, unionem realem arguere quoq; realem idiomatum communicationem tam manifestò liquet, ut mirum sit, id ab aliquo in dubiù verti potuisse.

30. Unde omnino concluditur, neq; etiam aliter colligi debet æternum Dei filium humanam naturam ex Maria virgine in infinitam suam *ἑνωσιν* assumptam omnium idiomatum divinorum *ἑνωσιν* reddidisse, ut quod ille per naturam, hæc per participationem habeat. Nec obstat hinc principium Physicum de proportionem finiti & infiniti.

31. Omnium, inquam, idiomatum, modo tamen dispari, sicuti etiam diversimodè sese habere non ignoramus.

32. Non quidem quod attributa Dei realiter in ipso differant, quippe qui propter independentiam actus est summè necessarius, infinitæque puritatis & simplicitatis, sed tantum ratione prædicationis & operationis ad extra sive diversa objecta. Sicuti in calore ignis vis exsiccativa & liquefactiva.

33. Verùm, uti ad propositum redeamus, quædam communicata dicimus mediatè, quædam immediatè. De utrisq; ampliter patebit inter disputandum.

34. Jam observetur quod diximus secundum humanam naturam. Nam eo ipso subnotatur, quod divinam à participatione receptiva prorsus statuamus immunem. Et profecto qui Christum secundum utramque naturam in tempore verè aliquid accepisse affirmare audent, nihil ad nos: eo enim vel uno præterquam quod ipso stupore sint magis stupidi, & planè ineptiant, actum illum absolutissimum & perfectissimum contra veritatem fidei vel imperfectionis & mutabilitatis arguunt, vel expressissimam contradictionem involvunt.

35. Novimus quidem, quod potestatem officii Christo secundum utramq; naturam in tempore obtigisse contendant. Novimus hoc, inquam, sed quomodo sustineri queat non videmus, Potestas enim illa aut erit dependens aut independens.

36. Si dependens, Christus secundum Deitatem habebit potestatem finitam, & sic nullatenus erit Deus, qui solus est causa

causa prima & nobilissima, atq; ita nulla alia dependet, sed per suam infinitam essentiam, quæ ad nullum genus entium coarctatur, omnes in se continet perfectiones, creatas eminenter, increatas formaliter, ut per nullam penitus contrahatur differentiam: contrahi enim infinitati omnimodo adversatur.

37. Sin independens, Christus secundum humanitatem assequitur dicitur potestatem infinitam. Quod aliàs in solidum inficiantur.

38. Eligant igitur sibi quod volent; Si illud, in Deum Opt. Max. injurii; si hoc, velint nolint sibi ipsis contradictorii sint.

39. De quo latissimus differendi & profectò jucundissimus campus esset ei, qui hoc tantum ageret, nos hujus opinionis authoribus relictis, quos propria absurditas facile refellat communicationem amplius perstringamus, ut eorum sententiæ accedamus, qui eandem absq; omni confusione, effusione, deificatione & exæquatione factam esse profitentur. Idq; salvâ veritate & pietate.

40. Quod si verum est, sicuti id simpliciter verum esse nemo nisi opinione occupatus negabit, missis κατὰ μέρος accidentis & κατὰ σύνθεσιν communicationibus, unicam κατὰ συνδύασιν præsentis negotio subservientem à nobis retineri non indifficile est colligere.

41. Quâ proprium aliquod subjecto non seperato, sed cum altero copulato communicatur ita ut totum συνδεδυασµένον constet ex duabus diversis rebus.

42. Fit autem ut in proposito accipitur non uno modo, sed nunc activum nunc passivum fortitur significatum.

43. Cum activè usurpatur, exhibitionem, cum passivè, participationem denotat.

44. Utraq; significatio optimo jure hîc admittitur, prior ad divinam, posterior ad humanam naturam refertur; Hujus enim recipere, illius largiri propriam est.

45. Hisce, quæ non potuimus intacta relinquere, ita explicatis, ipsa rei natura nos trahit, etiamsi fortè reniti vellemus, ad distinctas communicationis classes.

46. Qua-

46. Quarum ab alijs pluribus, ab aliquibus autem pauciores adnumerantur, quorum sententia hîc obtineat, facillimè in dubium vocari possit, & sanè vocatum fuit à plurimis, quod evidenter animadvertere est illi, qui incidat in doctorum hominum scripta.

47. Nos secundum Formulam Concordiæ & gravissimos hujus sæculi Theologos totum hoc in tria conjiciemus capita.

48. Quibus indistinctim acceptis vel ignoratis fieri profectò non potest, ut utiliter quispiam hîc versetur, neque demirandum est multos incidisse in gravissimos errores, qui hæc aut non didicissent, aut ab aliis ostensa non intellexissent.

49. Itaq; quod diximus exequamur, & primum γενωρίας caput, quod propriè vocamus ιδιωµάτων, ad veritatem exigamus, quo proprietates alterutrius naturæ toti personæ tribuuntur in concreto. Sic angelus Gabriel ad Mariam dicit: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

50. Quorsum quidam propositiones de actionibus & passionibus alterutrius naturæ verè & propriè competentibus, & de hypostasi verè non verbotenus duntaxat enunciandis referunt, quod actiones & passionibus, juxta solennem Theologorum regulam totius sint suppositi.

51. Unde omninò vel oculis pateat nobis non arridere impiam illorum opinionem, qui sibi ad blandiuntur, vel potius importunissimè mentiuntur tales prædicationes verbales tantummodò, non reales esse.

52. Quorum argumenta nobis, qui non aliud hîc agimus quàm ut nostram sententiam exprimamus, & interdum adversariorum opiniones quasi aliud agentes & prætereuntes digito tantum ostendamus, non libet examinare, imò ne quidem recensere, quod veritate posita non rariò vel mediocriter erudito in proclivi sit falsa animadvertere, vel ab aliis animadversa deprehendere.

53. Igitur ne justo prolixiores simus, quod hujus loci est & instituti, id tantum agamus & tria diligentissimè attendamus.

54. Quorum primum esto, in hoc de quo nunc agimus communicationis capite locum tantum habere locutiones concretivas non verò abstractivas. Qui enim ut rectè dixerit, Deus est passus, non minus rectè & propriè se dixisse existimet,

B

stimet,

stimet, Deitas est passiva, labetur omni procul dubio ille turpissimè, & magnæ absurditatis convincetur: Deitas enim nulli prorsus potentia passivæ subjacet, propterea quod sit perfectissima, imò ipsa perfectitudo, unumquodq; autem patitur secundum quod deficit. Quod si igitur Deitas deficere queat, cum à se ipsa tùm deficiat, Deitas esse desistat.

55. Alterum; locutiones concretivas ductrice scripturâ determinari oportere per particulas *διανεπιμας*, secundum, juxta, quoad, in, quatenus, pro &c. ut intelligamus utrius naturarum sint peculiare, Ita filius Dei dicitur ex semine Davidis secundum carnem.

56. Ultimum; admitti hinc reciprocationes. Quemadmodum enim propria divinæ naturæ rectissimè prædicaveris de tota Christi persona expressa per concreta vocabula humanæ naturæ, ita non minus rectè propria humanæ naturæ tribues personæ per concreta divinæ naturæ. Sic homo Jesus Christus est ab æterno à patre genitus, Deus natus est in tempore ex Maria virgine.

57. Atq; de primo communicationis capite tantum est, nunc alterum, quod totum redemptionis & salvationis opus concernit, & propterea *κωνωνία τῶν ἐνεργειῶν* dicitur, persequamur.

58. In quo utraq; natura agit cum communicatione alterius illud quod cujusq; est proprium, Verbo operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est.

59. Quorsum ut nos quidem existimamus, nec quicquam verius dici potest, cum id res ipsa testetur, commodissimè referuntur nomina officii, salvatoris, mediatoris, redemptoris & justificatoris, in quo ad communem effectum utraque natura concurrat, sed juxta diversas operationes.

60. Exemplo res fiet illustrior, ponamus mediationem Christi, qui certè mediator est secundum utramq; naturam, juxta humanam pariendo & moriendo, juxta divinam autem dignitatem, valorem & pondus morti largiendo.

61. Quare quorundam, etiamsi verissima videantur velle docere, opinio nobis probari neutiquam potest, quando Christum non secundum utramq; sed humanam saltem naturam mediatorem esse, contra quam veritas patiatur, arbitran-

tur.

tur. Nos mediationem utriusq; in Christo esse naturæ indubitato non asserimus tantummodò, sed & demonstramus; secundum humanam, nî fuisset mediator Christus, nil consolationis ad nos redisset. Nî secundum divinam, infinitæ Dei justitiæ satisfieri, infinita ira placari, infinita mala expiari, infinita bona recuperari potuissent nunquam.

62. Quare uti diximus, utraque natura hinc agit cum communicatione alterius, non quod unius naturæ effectio alterius sit operatio, sed, ut jam patuit, quod operationes utriusq; concurrant ad commune aliquid *συντέλεσμα*, quo verbo Damascenus utitur, producendum.

63. Quod cum jam pridem disputaverint & confirmaverint viri clarissimi, & etiamnum ipsa per se veritas clamet, hinc latius non persequemur, sed ad tertium communicationis caput quod *κωνωνία τῆς διόξης* appellant, explicandum nos conferamus.

64. Quo *λόγος* & carni in unitatem hypostaseos assumptæ, in eademq; subsistenti verè divina & infinita idiomata communicavit, ita tamen, ut divinæ Christi naturæ nihil accesserit, vel decesserit, & in se vel per se neq; diminuta neq; aucta fuerit.

65. De quibus ipsam scripturam pro nobis disputantem audiamus, quæ omnipotentiam vim vivificandi, vim edendi miracula alia, potestatem peccata remittendi, & non remissa judicandi auctoritatem, omni præsentiam omniscientiam & religiosam adorationem, Christo secundum carnem communicatam esse disertissimis verbis testatur.

66. Secus qui sentiat, & Christo homini omnipræsentiam & religiosam adorationem deneget videat, quem Christum nobis fabricet, quam omnium rerum confusionem non sine blasphemia moliat, & monstrum nobis pariat in solas terras deportandum.

67. Nos in dicta persistimus sententia, non ut superius explicatum dedimus, & hinc necessariò repetimus, quod horum sicut & reliquorum idiomatum omnium caro Christi sit subjectum physicum vel inhesionis, vel eadem habeat suapte naturâ formaliter, sed κατ' ἐπίστασιν, quod videlicet in tempore, propter unionem singularem extraordinariam & μοναδικὴν personam fuerit (uti Scholastici loquuntur) & exinde omnia sibi communicata acceperit.

68. Sed

68. Sed & hinc ne magno veritatis detrimento errorem non ferendum erremus, ad duo cumprimis animum intendamus.

69. Quorum primum est, communicationem hinc non recipi, alioquin, sicuti Christus secundum humanam omnipotens, sic secundum divinam naturam mortuus diceretur, quod vel solo effatu esset absurdum. Ecce manifestam rationem: Mors imperfectionis & impotentiae insignis est argumentum, quae in Deitatem nequaquam cadere potest, propter omnimodam perfectitudinem tam essentiae quam potentiae, potentiae puta activae non passivae, quae potius est impotentia quam potentia, quod praesupponat carentiam & defectum.

70. Alterum locum hinc habere locutiones abstractivas sine resolutione vel ad alteram tantum naturam restrictione. Quae ut recte dixeris, Christus Deus & homo est omnipotens. Ita non minus verum dixeris. Caro Christi est omnipotens.

71. Et numerus capitum communicationis idiomatum ita explicatus esto, in quorum ordine constituendo diversas viro um etiam magnae auctoritatis reperire licet sententias.

72. Quem sicuti si quis imitari velit, prohibere non possumus, ita nos eum (salva tamen aliorum egregia auctoritate) nullatenus jam sequemur, retenturi quam enumeravimus capitum dispositionem.

73. Atque ita quod ductu vocaturque Dei Opt. Max. de hypostatica duarum in Christo naturarum unione, divinorumque idiomatum communicatione intendimus, eisdem gratia breviter finimus.

74. Quod si quis vitio nobis vertat, nam admodum ille inconsulto & indiscusse agat: cui enim parva est manus, simpliciter comprehendit lapillum nobilem, nihil obstante, quod qui majorem habeat, melius fortasse comprehendat.

75. Quapropter quicquid etiam ille dicat, nihil ad nos attineat. Enimvero non integrum commentarium aut prolixiore aliquam orationem texere, sed theses neque multas neque prolixas proponere animus erat, in quibus qui ingenii sui vires periclitatum & nobis gratificatum vellet, deprehenderet omni procul dubio quod agat, cum mentem nostram satis superque de iis exposuerimus, quae ut gravissima sunt, ita & cujusvis attentionem & postulabunt & merebuntur. Quod

Christus Jesus Deus homo bene feliciterque
vertat.



EXPLICATIO

ελεγκτικῆ

Evangelii Domin. I I. Adventus.

QUAM

P R E S I D E

Dn.

JOHANNES GERHARDO
DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO

Suo

Patrono, Favourite & Praeceptore multis nominibus suscipiendo

Ad disputandum propositis

STATIUS FABRICIUS
Mindensis.

Ad 7. Iduum Decembris.

ANNO M. DC. XVI.

JENAE

Typis TOBIAE STEINMANNI.